

VI. Solent quoque Archipresbyteri loco Episcopi intervenire computibus non tantum Fabricæ, aut Mensæ S. Spiritus in Parochiis sui districtus, sed etiam Hospitalium, Begginagiorum & Monasteriorum Ordinario subje-
ctorum.

VII. Verum circa hæc aliæque jura & officia Archipresbyterorum notanda, illa plurimum ex consuetudine, & instructionibus, seu facultatibus, quæ Archipresbyteris in singulis Diocæsis dari consueverunt, dependere, & variari; adeo ut ex consuetudine aut Decreto unius Diocæsis quoad similia ad alias Diocæses ordinari non liceat inferre.

Denique recogitare debent Archipresbyteri, in tuendis aut exigendis juribus, præsertim temporalibus, se admodum moderatos esse debere. Cum enim ipsi sint Pastores Pastorum; etiam officii eorum est, Pastoribus ostendere, & suo agendi modo vivaciter imprimere, quod prima

cura & sollicitudo esse debeat salus animarum; Jura vero præcipue temporalia parum esse curanda; maxime ubi eorum rigorosa exactio nata esset profectum animarum & progressum Evangelii impedire.

Uno verbo, Archipresbyteri ita suorum jurium curam agant, ut tamen nunquam excidat, quod cum sint Parochorum & Sacerdotum sui Districtus Pastores, ante omnia solliciti sint de eorum salute & profectu spirituali, & singularem habeant inspectionem & curam de ipsorum vita & moribus, ac diligentia zeloque circa functiones Pastorales; sequè respectu Pastorum gerant non ut dominantes in Clero, sed tamquam Patres & forma gregis facti ex animo. Pastoribus zelosis, & in officio Pastoralis obeundo inreptis & ferventibus consilio, auxilio, & solatio contra obmurmuratores & refractarios sua autoritate assistant & opitulentur.

TITULUS VII.

De Canonicis Collegiatarum & Cathedralium Ecclesiarum, & officiis juribusque utriusque communibus.

CAPUT I.

Unde Canonici Collegiatarum & Cathedralium Ecclesiarum hodie dicantur SÆCULARES?

- 1 Synodi etiam Generales, Canonicos quosdam sæculares vocant.
- 2 Vocabulum sæculare nonnumquam in malam partem accipitur.
- 3 Sæculares interdum dicuntur, qui civilibus negotiis præcipue occupantur.
- 4 Vox sæcularis prout applicatur Canonicis in malam partem non sumitur.
- 5 Quæ ratione Canonice viventes, rectè dicantur sæculares.



Canonice Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum non tantum à vulgo & imperitis, aut malevolis hominibus hodie dici sæculares; eoque vocabulo distingui à Canonicis Regularibus in Monasteriis sub trium votorum professione viventibus, ex ipsis conciliis manifestum est.

I. Synodus Lateranensis sub Innocentio III. non obscure distinguit Ecclesias Canonicorum sæculares à Regularibus: sed manifestius ipsa Synodus Tridentina Sess. 7. c. 14. De reformatione Sæculares Clericos à Regularibus distinguens; & alibi sæpius Regularium Canonicorum ut à sæcularibus distinctorum verba faciens, hanc nomenclaturam probavit.

Quod igitur Canonici hodierni, qui votis Monasterii non astringuntur, dicantur sæculares, ipsos offendere non potest, cum etiam ipsa Concilia eo nomine à Regularibus ipsos distinguant.

II. Verum vocabulum illud sæculare frequenter in malam partem accipi; ut v.g. ab Apostolo, dum præcipit, ut abnegantes impietatem & SÆCULARIA desideria, sobriè, justè & pie vivamus in hoc sæculo, negari non potest.

III. Similiter interdum sæculares dicuntur, qui in civilibus rebus & actionibus occupantur, qui solliciti esse debent, quomodo uxori placeant, quomodo liberos honestè educant & doceant. A quibus negotiis cum sese Ecclesiasticus Ordo Deo mancipatus abstrahere debeat, dicente Apostolo: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, alii ad eorum discretionem homines sæculares dicti sunt: ac frequenter in canonibus clerici hujusmodi sæcularibus opponuntur.

IV. Neque ergo etiam hac ratione Canonici aut alii quicumque Ecclesiastici, si conformiter suæ vivunt vocationi, sæculares dici possunt; neque hac significatione à conciliis Canonici vocantur sæculares; sed quatenus opponuntur iis, qui recedentes à sæculo ad claustra & solitudines se retrahunt; & exteriori professione per trium votorum emissionem omnibus sæcularibus & mundanis renuntiantes, sæculo & mundo nuntium mittentes; imò quodammodo mori dicuntur.

V. Horum ergo respectu Canonici, postquam rejecta communi vita, singularem vitam inter sæculares vivere ceperunt, sæculares dicti sunt; non ea quidem ratione, qua Laici actionibus civilibus & sæcularibus implicii sæculares vocantur; sed eatenus, quod jam in sæculo, hoc est, inter sæculares homines conversentur & habitent, qui antea in claustris ab omni mundi strepitu & hominum sæcularium conversatione segregati planè à sæculo exiisse videbantur.

Hinc Adamus Canonicus Præmonstratensis apud Molanum lib. 2. cap. 25. De Canonicis, cum sibi objecisset: „Si Canonici, quomodo sæculares? Ut cignos nigros, sic audio dici Canonicos sæculares: (subdit) sed esto, nec ipsum culpemus modum loquendi, Sit quod sic appellerentur, non quia criminibus sæculi ipsi sæculo conformati implicentur, sed pro eo quod tam arctum vivendi propositum, non amplectantur, quam arctum illi tenere videntur, qui Regulares appellantur.

CAPUT II.

Canonici qui hodie dicuntur sæculares, vitam communem & claustralem egerunt. Et quando ab ea recesserint?

- 1 Canonici sæculares olim in communi vixerunt.
- 2 Probatum pluribus exemplis.
- 3 Quando deserit vita communis.
- 4 Quæ desertionis causa.

I. SI antiqua Canonicorum monumenta & temporum historiae revolvantur, nihil certius quam pleraque, quæ hodie dicuntur Capitula Canonicorum sæcularium, vitam communem vixisse; eodem penè modo, quo hodie Canonici, qui dicuntur Regulares; licet vota solemnia, præcipue paupertatis non emitterent.

II. Et

CAPUT III.

Ex desertione vitæ communis quasi naturaliter sequuta est vitæ Canonialis dissolutio.

- 1 Desertio vitæ communis secum traxit solutionem discipline Canonialis.
- 2 Primum medium conservanda discipline Canonialis, quod suppeditabat vitæ communis, & cum vitæ singulari desit.
- 3 Promittitur medium secundum.
- 4 Tertium.
- 5 Quartum.
- 6 Ex desertione vitæ communis factum, ut in vitæ Canonicali homines mundani desiderata invenerint.
- 7 Hinc totius discipline Canonialis ruina.



I. Ix ullum reperire est Scriptorem, qui Canonicorum è vita communi ad vitam singularem transitum refert, quin unà referat & deploret ut ex ea secutam totius Canonialis discipline relaxationem; resteturque è Regularibus, non nomine dumtaxat, sed vitæ & moribus etiam factos sæculares. „Etenim, ait Dionysius Carthusianus, quæ, quanta & qualia vitia orta sint, atque quotidie oriuntur ex relaxatione illa vitæ communis, dormitoriisque ejusdem experientia potius docuit, quam lingua possit explicare.”

Quam verò hæc vitæ Canonialis dissolutio ex ea vitæ communis in singularem commutatione naturaliter & quasi sua sponte proflexerit, ultro fatebitur, qui utramque vivendi normam, & exteriorem disciplinam paulò attentius consideraverit.

II. Dum in communi vivebant, simul in uno reficiebantur refectorio; mensuramque potus & cibi Superiores pro necessitate, non pro voluptate moderabantur: ipsaque convivium sacræ semper lectione condiebantur. Unde de Canonicis Remensibus adhuc in communi viventibus quasi exultans scribit Stephanus Tornacensis: „procedentibus unanimiter de Missa ad Missam, de spirituali, li refectio ad corporalem, præmissa invocatione Domini, & signo benedictionis super cibum extenso, reficiebant convivæ Domini minùs ventrem, quam mentem, sonante eis per ministerium lectoris divino eloquio.” Epist. 160.

At arrepta vitæ singulari, tum non secundum moderationem & discretionem Superiorum cibus potusque subministrabatur, sed suo quisque arbitrio mensam suam instruere potuit, delicisq; re, quantum placuerit, affluere, genioque & concupiscentiis indulgere. Pro electione sacra discursus non tantum otiosus & sæculares, sed & peiores liberum fuit permittere.

III. Vita communis de bonis & proventibus Ecclesiasticis singulis pro necessitate suppeditabat; quibus usibus datum impenderetur, Prælati invigilabant & rationem exigebant; at in vitæ singulari singulis suæ præbendæ sive proventuum portio ita conceditur, ut de ea nulli rationem, nisi soli Deo, reddere teneantur: atque hinc libertima cuique ex bonis Ecclesiasticis consanguineos familiaresque ditandi relicta potestas: hinc de patrimonio Christi luxuriandi, nullo freno restricta libertas.

In vitæ communi nulla nisi de licentia Prælati dabatur egrediendi è claustris Canonicorum facultas; atque hinc rara erat cum hominibus sæcularibus Canonicorum conversatio; cum mulieribus autem rarissima. At per vitam singularem referato, seu potius deserto claustris, libera ac familiaris cum sæcularibus, non viris modò, sed & mulieribus conversatio facta est.

IV. Durante vitæ communi tempora singula, quibus impendi deberent, ex præscripto Regulæ & Superiorum erant determinata; atque ita otio pro magna parte occasio subtrahebatur. Aderant & Superiores, qui quid singuli suo tempore facerent, intenderent; minùsque

D 3 rectè

II. Et quidem in Ecclesia Leodiensi sæculo XII. vitam communem inter Canonicos adhuc superstitem fuisse scribit Bartholomæus Fisen lib. 10. cap. 10. Hist. Leodiensis, ubi loquens de Alberone Principe ait: „Ipso Principe, Canonicorum omnis disciplina corrumpitur, quam neque Præfides curant, neque Episcopus ipse: ut qui negligere, cepit Decessoribus suis solemnes Collegiorum inspectiones. Claustrum ergo ratione omni sublata, dies noctesque Collegia patuere, etiam equitibus curribusque; cum ad eam artem clausa perseverassent, quo ritu hodie Monasteria.”

Et anno 1189. Godefridus III. donans decimas Collegio Canonicorum S. Joannis Leodii ait: „Et residuum fructuum in usum Fratrum in Ecclesia vestra residentium, juxta portionem, quæ unumquemque Fratrum in refectorio contingere debet, prout competens videretur, rationabiliter Capitulum dispensaret.” Apud Miræum in Diplomate Belg. cap. 65. quæ evidenter vitam communem supponunt.

De Ecclesiis Cameracensibus, aliisque vicinis testatur Chronicon Cameracense per Baldericum; & de Trevirensi; Wormatiensi, Colonensi, aliisque Germaniæ Canonicorum Ecclesiis testis est Trithemius ad annum 975.

Et quid plura, nonne vitam illam communem clamant etiamnum „hodie dormitoria, refectoria, & alia id genus loca publica, quibus nostri Ordinis Canonici, ait Auber- tus Miræus in notis ad Regulam Canonicorum, olim usi fuerunt, hodieque extant, & cum admiratione monstrantur Colonia Agrippinæ, Tornaci, Leodii, Brugis, Insulis, & alibi.”

III. Hæc vitæ communis institutio in aliquibus civitatibus, in aliis feriùs desit. Circa sæculum X. nonnullos ad vitam singularem abjecta communi convolvassè tradit Trithemius loco citato: „Sub Theodorico Archiepiscopo Trevirensi, Canonici majoris Ecclesiæ ibidem abjecta vitæ regulari, quam hucusque in eadem Ecclesia Majores eorum continuaverant, deserunt esse Regulares, & facti sunt nomine & conversatione sæculares. Quorum exem- plo malo Canonici quoque S. Paulini Trevirenses, Sancti Castri in Confluentia, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses, & complurium aliarum Ecclesiarum, diversis quidem temporibus, sed uno impietatis spiritu, Regularis vitæ communitatem abjecerunt.”

IV. Hos successivis temporibus alios secutos fuisse, Scriptores sæculi XI. & XII. abundè testantur, & alitè deplorant; eamque mutationem non authoritati Ecclesiæ, sed defectui, & refrigerenti charitati adscribunt.

S. Ivo nec Episcopus Carnotensem audiamus. „Quod communis vitæ, inquit, in omnibus Ecclesiis penè defecit tam civilibus quam Diocæsanis, non authoritati, sed defuerunt, & defectui adscribendum est, refrigerente charitate, quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate; quæ non quærit ea, quæ Dei sunt & proximi, sed tantum quæ sunt propria.” Epist. 60.

Similiter sub idem tempus de hoc Canonicorum transitu à vitæ communi ad singularem loquens Stephanus Tornacensis, dicit, Canonicos transitum illum fecisse, quia dispensationis levamen libentius admittebant, quam auctoritatis vigorem. Quapropter urget Decanum Remensem, ne patiarur hanc Ecclesiasticam & diu servatam disciplinam aboleri, neque tam facile juvenuti singulariter, ne dicam, ait, SÆCULARITER vivere volenti obediat. Epistola 160.

recte agentem aut otio disfluente moneant & corripent.

At nihil horum in vita singulari Canonico: quid quid lubet, quisque pro suo agit arbitrio; si otiosi, si variis, imò & parum Clericis decentibus occupationibus vacare lubet, quis est qui vigilet, qui moneat, aut qui corripiat?

V. Florente vita communi, domo sive claustro omnibus communi, & suppellectili vulgari pro discretione Superiorum contenti esse debeant; dum autem vivunt singulariter, quisque domicilia exstruit aut comparat, ac suppellectili ornat, prout suae ambitioni, aut vanitati congruere judicat.

Utque verbo dicam, cum vita singulari irrepsit libertas Canonico: pro suo libitu vivendi; reditusque Ecclesiasticos pro arbitrio dispensandi.

Huic vivendi libertati, si quis conjunxerit divitias, & honores etiam mundanos, quos ipse Canonialis status hodie dare solet, facile videre est, qua ratione homines mundani, carnales, ambitiosi, avari aliisque vitis pleni, in vita Canonico: reperire ceperint, quo suis concupiscentiis, & carnalibus desideriis satisfacere possent.

VI. Hinc contingit, ut Canonici & praebendae ambire ceperint in quibus regnabat avaritia, imperabat ambitio; aut quos commode, deliciose, imò splendide, & honorifice secundum saeculum vivendi incitabat desiderium. Jamque vita Canonialis non amplius considerata fuerit, quali eam profitentes mundo ejusque pompis & praetensionibus valedicerent, seque totos Dei & Ecclesiae servitio consecrarent; vitamque secundum Canones seu Regulas ab Ecclesia praescriptas sanctè inlitere deberent; sed considerari ceperunt, quasi vita commoda & honorifica secundum saeculum, dans ea omnia, quae homines saeculi existimanda & optanda credunt.

Inde felices aestimant, etiam maximè secundum mundum, qui Canonici assueverunt; sed eo feliciores quo pinguioribus, ut vocant, aut honorabilioribus sunt praebendae.

Ex quo ulterius parentum cura & studium, ut suos quacumque via ad Canonici promovant; tametsi nec minima in illis appareant vitae Clericalis specimina.

Quin & parvulis nondum penè natis provida parentum sollicitudo Canonici parare cepit: "Hunc nos, inquit apud S. Bernardum in Declam. §. 5. illi vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam aut cui forte servimus, ut dicitur de bonis Domini, nec in tota liberis nostra dividatur hereditas."

VII. Quid igitur mirum, si postquam ea de vita Canonicali fuit impressa idea, postquam ad illam ambitio, avaritia, ipse mundi spiritus, homines carnales & mundanos sollicitavit & induxit, imò & plerumque intravit, una secuta sit totius disciplinae relaxatio? Imò sanè mirandum quòd adhuc illius vel vestigia superesse reperiantur?

„Si enim, teste Bellarmino de Gemitu Columbae lib. 2. cap. 8. multitudo Monachorum ex monte perfectionis exciderit ad vallem profundam nimiae relaxationis, quia non duxit eos stella ad praesepium Christi, id est, non traxit eos Divina vocatio ad humilitatem Christi sectandam; sed carnalis sensus qui mentem excaecat, duxit illos vel ad vitam commodiorem cum essent pauperes, vel ad honores ambiendos in Religione, cum in saeculo non invenirent quae via possent ascendere: vel alio aliquo humano consilio vestè sanctam induerunt. Et quid mirum si multi vestem Religiosam induant, cum non spiritus Domini, sed carnalis sensus eos ad Religionem duxerit."

Si, inquam, haec de Religiosis non recta intentione Monasteria intrantibus verè dixerit Bellarminus, quid dicendum erit de his, qui vitam commodiorem & honores non in Monasterio, ubi adhuc vita quadam communis & austeritas servatur, sed in saeculo, ubi ambitio & dissolutio dominatur, cum studio quaerant & saepe inveniunt?

CAPUT IV.

Ipsa Canonico: institutio, seu professio semper mansit invariata.

- 1 Perversa de vita Canonicali idea.
- 2 Disciplina exteriori mutata, invariata mansit Canonialis institutio.
- 3 Non minor hodie in Canonico: requiritur morum integritas, quam durante vita communi.
- 4 Sola exterior disciplina mutata est.
- 5 Haec facilitate ut Canonico: viveretur, non tamen omnino necessaria erat.
- 6 Alia habenda de Canonico: idea quam vulgo habent.

Tandem connivente Ecclesia Canonicos ad vitam communi ad singularem transivisse, magnamque circa exteriorem vivendi disciplinam mutationem intervenisse ex dictis capite superiore satis constat.

I. Ulterius ex hac vivendi ac exteriori disciplina variatione magnam vitam libertatem; atque inde totius Canonialis professionis dissolutionem sequutam abundè quoque ostendimus; quae dissolutio ubi universas penè per orbem Christianum Canonico: Ecclesias pervasit, eam tandem plerisque impressit ideam, quasi vita Canonialis esset vita commoda & honorifica, maximeque secundum saeculum optanda; sine ulla penè obligatione divitias, honores aliisque secundum mundum appetibilia affluenter suppedians.

Verum nihil à mente Ecclesiae magis alienum, quam haec de vita Canonicali secularis & perversa idea.

II. Licet enim disciplinae exterioris mutationem tandem toleraverit Ecclesia, nunquam tamen de sanctitate vitae, & vivendi secundum Canones seu Ecclesiasticas Regulas obligatione quiddam remisit; imò immobilem semper supposuit ipsam Canonicae institutionem, & professionem, si ipsas essentielles & interiores status Canonialis obligationes spectemus.

Hinc saeculo xv. non de Canonico: in communi viventibus, sed singularè jam vitam agentibus dicebat Dionysius Carthusianus: "Clerici vocantur Canonici, quoniam regularem & rectam tenentur ducere vitam, vitiorumque obliquitates vitando, sinceriter gradari juxta praefixa eis à SS. Patribus statuta." *Tractat. de vita Canon.*

Utque propius ad nostram aetatem descendamus, praecedenti saeculo Synodus Colonienfis: "Ut de Canonico: dicamus paucis, inquit, respondeat eorum vita titulo, respondeat nomen: sint re ipsa, ut sunt nomine Canonici, id est Regulares." An 1536. *Part. 3. cap. 4.*

Quin & sub finem ejus saeculi Clerus Gallicanus ut Canonicos ad vitam rectitudinem, morum integritatem, Canonumque sedula observantia efficacius reduceret, ut nominis sui memores essent, admonuit: "Canonico: semper suae denominationis memores esse oportet, inquit, ne quis eorum Canones & Regulas, vitae aut morum pravitatem unquam transgrediat, sed è contra qui exleges sunt, aut in futurum esse possent, eorum exemplo ad pietatis & probitatis totius formam & regulam revocentur."

III. Et quid plura, an minorem hodie in Canonico: in cibo potuque aut mensarum apparatus frugalitatem requirit Ecclesia, quam olim, cum communi refectorio utentes, cibi potuque mensuram suorum praetorum arbitrio accipiebant? An minus se à spiritu mundi, & secularibus negotiis separare debent Canonici, qui hodie vitam singularem agunt, quam olim in communi viventes? An minus castè vivere, aut mulierum suspecta & periculosa consortia vitare, quam dum simul in uno claustro habitantes, à secularium ac mulierum conversatione manebant separati? An hodie ex proventibus Ecclesiasticis liberalius, & extra necessitatem consanguineos aut famili-

familiares ditare possunt; aut in luxum, usus superfluos vel profanos erogare, quam dum eos ex communi massa dispensante Praelato pro sua quisque necessitate accipiebant? An minor hodie Canonico: orandi, divinumque officium devotè ac diligenter persolvendi obligatio, quam dum in una domo commorantes, simul è dormitorio, aut refectorio, instar hodiernorum Religiosorum, statis horis ad persolvendas Horas Canonicas pergebant? An minor est hodie, quam olim fuerit, Canonico: Deo & Ecclesiae servitio, seque eorum ministerio consecrandi necessitas?

Revolvantur, releganturque Canones, etiam his posteris saeculis, postquam vita communis Canonico: in singularem transivit, edicti, nihil planè circa haec mutatum reperietur: Sed eadem omnino Canonico: inculcata inveniuntur & praescripta.

IV. Uno verbo, quidquid mutationis intervenit, unice ipsam exteriorem vivendi disciplinam concernit: quae quidem non parum facilitatebat, ut Canonici ea ad quam vitae professionis indispensabiliter adstringuntur, observarent; nequaquam tamen ejus erat conditionis, ut ea non observata, Canonici quae suae sunt vocationis & professionis exactè, licet fortè difficilùs, implere nequeant.

V. Quidni enim inter Canonicos singulariter, hoc est, extra congregationem viventes, reperiantur, qui ejus sint virtutis & perfectionis, ut eam in cibo & potu totiusque mensae apparatus sibi praescribant, & servant moderationem, quam etiam in ordinatissima congregatione Superiorum juxta Canones praescriberent? Qui recitatus Ecclesiasticos, quantumvis suae dispensationi pro arbitrio concedit, summo cum timore ac tremore, tamquam patrimonium pauperum dispensent? Qui curam temporalium sine cura agant? Qui divitias possideant quasi nihil habentes? Inque particulari familia ita vitam instituant, ut mania omnia Canonico: ad praescriptum Sacrorum Canonum non minus perfectè & absolutè adimpleant, quam si juxta pristinam vivendi disciplinam vitam agerent communem.

VI. Ex his quisque facile intelliget, aliam planè de vita Canonicali esse concipiendam ideam, quam vulgo concipitur; vitamque Canonicae ex mente Ecclesiae non esse institutam aut ordinatam, ut quis commode, laetè, ac honorifice secundum saeculum vivat, sed ut à mundo abstractus, omnibusque ejus praetensionibus renuntians, unice Deo & Ecclesiae sive orando, sive laborando serviat; vitamque Clericalem juxta Sacros Canones tantè exactius & ferventius instituat, quanto reliquis Clericis & nomine & dignitate praecellit.

Ex his quoque non difficulter intelligitur, quam procul à mente Ecclesiae, & à vera idea, quam de Canonico: habere deberent, recedant, qui ad eos tamquam ad res secundum mundum maximè optabiles & commodas, aspirant; feliceque se autumant, dum ad eos pervenerint; nihil aut parum de obligatione, quam ratione Canonico: titis contrahunt, solliciti.

CAPUT V.

De Congregationibus Capitularibus.

- 1 Collegia Canonico: olim dicta Monasteria; hodie Capitula.
- 2 Congregationes Canonico: quando dici ceperint Capitula.
- 3 Sola Canonici Capitulum constituunt.
- 4 In dignitate constituti si non sint Canonici non sunt de Capitulo.
- 5 Fallit in Decano.
- 6 Canonico: & dignitatem obtinens non gaudet duplici suffragio.

- 7 Canonici Sacris non imitati Capitulo non interveniunt.
- 8 Canonici non ordinati an turnum suum habeant in Collatione Beneficiorum?
- 9 Olim Canonici quotidie Collationem instituebant.
- 10 In hujus locum succedere Capitula disciplinae, & quid in eis tractandum?
- 11 In Capitulis primum de disciplina & vivendi ratione tractandum?
- 12 In Capitulis à majori parte suffragiorum concluditur, & hinc nunquam statuta injusta.
- 13 Non cetero modo in Capitulis statuta jurandum.
- 14 Quando indicenda Capitula?
- 15 Non indicenda tempore divini officii.
- 16 Nec in hoc consuetudo excusari potest.
- 17 Nec alia negotia non Capitularia tempore divini officii tractanda.

I. Dum olim Canonici vitam communem agerent; unoque claustro sub certa regula, & Superiorum directione viverent, eorum collegia dicta fuisse monasteria, ex monumentis & Scripturis illorum temporum notissimum est: ut merito Molanus lib. 1. De Canonico: c. 12. imperitè arguat eos, qui dum alicubi incidunt in locum, quemquam apud Superiorum aetatum Scriptores, in quo Canonico: collegium vocatur Monasterium, aut errorem esse, aut monasticum ordinem antequam Canonici essent in eo viguisse, putent, non alia ratione moti; quam quòd videant monasterii nomen illi quondam tributum esse.

At postquam Canonici abjectà vitam communi ad vitam singularem transierunt, externaque vivendi disciplina se planè à Monachis & Regularibus in communi viventibus discreverunt, sensim quoque vocabula communem illam vitam praeferebant respuerunt; atque ita eorum Ecclesiae sive Collegia prius Monasteria nuncupata, dici ceperunt Capitula: hocque nomine hodie Canonico: saecularium Ecclesiae à Monachorum & Canonico: Regularium Conventibus distinguuntur.

II. Ulterius singularitate semel inducta; suas etiam congregationes, quae durante vita communi dicebantur Conventus, Collatio aliove simili nomine, quo communitas aliquo modo indicabatur, Capitula dixerunt; hodieque Congregationes seu Conventus Canonico: vulgari nomine Capitula vocantur; eaque quae in illis Congregationibus acta sunt, acta Capitularia, Capitulariter acta dicuntur.

III. Ad hanc Congregationem, quae communiter Capitulum nuncupatur, jus habent soli Canonici: id est, qui in ea Ecclesia verè sunt Canonici, omniaque jura Canonico: habent.

Unde Beneficiari qui Canonici non sunt, licet etiam habeant jus praebendae, sive cum Canonico: proventus dividere aut participare, imò & de administratione bonorum cum Canonico: in communi deliberandi jus haberent si tamen Canonici non sint, de Capitulo esse non censentur neque in electionibus, aliisque actibus Capitularibus ipsam bonorum administrationem haud concernentibus interveniendi jus habent, nisi aliud de consuetudine aliove particulari titulo obtineat: uti latè Fagnanus ad c. 1. de elect. n. 33. & seq.

IV. Quin imò, si in eadem Ecclesia sint dignitates, quarum possessores simul non sunt Canonici, de jure communi vocem aut Sedem in Capitulo non habent, nisi ex earum fundatione seu erectione expressè, aut ex antiqua consuetudine secus obtineat. Unde Glossa ad Sanctionem Pragmaticam c. sicut §. quanta, post Innocentium aliosque Canonistas ait: "Beneficiari in Ecclesia Cathedrali nisi habeant Canonice, tum, non sunt de Capitulo, nec debent habere vocem in Capitulo."

Et generaliter Rebuffus Tractat. de Nominat. quest. 8. num. 32. asserit: "Habentes dignitatem in Ecclesia de jure non sunt de Capitulo, nisi aliis sint Canonici, soli